

Nicolaus Schütze Joachim Heinrich Flemming

## **Discursus luridicus De Iniuriis**

Rostochii: Kilius, 1643

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73184954X>

Druck Freier  Zugang



Unrecht  
(Ungerechtigkeiten)

Schütze - Flemingk. <sup>1643</sup> / 6  
R. N. Inv. 1643.



73

DISCURSUS JURIDICUS

De

# INIURIIS

Quem

76.

Divini Numinis auxiliante gratia

SUB PRÆSIDIO

*Amplissimi Consultissimiq; VIRI*

DN. NICOLAI Schützen/

JCTI longè celeberrimi, & in hac almâ

Rosarum Academiâ Cod. Profefs. Ordin.

digniffimi, meritiffimi

*In Auditorio Majori*

*Ad Anni M. DC. XLIII. diem 3. Maij. horis an- a 1.*

*meridianis disputandum & placide Examinandum*

*publicè propono.*

*Jodion* *Kerch* *Flawing*  
J D G H I M H J N X Z G S J E M J N G R

Eq. Pomeranus.



ROSTOCHII,


Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XLIII.

1643

ROSTOCKENSIS  
ANATOMIA  
D. N. NICOLAUS  
ROSTOCKENSIS





I.



Materiam Injuriarum quibus (proh dolor)tristissimo hoc seculo nil frequentius, diligentius si inquiramus rectè nos facturos existimo, imprimis cum ea quæ frequenter accidunt auctore Paulo *in l. 25. ff. de Lib. Legat.* Sæpius sunt attingenda.

II.

Et cum potior quidem rerum, sed prior verborum, ut melius de quo tractatur intelligi queat, cura esse debeat, sciendum est vocabulum Injurix, tam latè quàm strictè patere.

III.

Injuria in lata sumpra significatione omne id quod non Jure fit, cum contrariorum eadem est disciplina significat, *l. 1. in pr. ff. h. t. & pr. inst. eod.* Et hoc modo omnia delicta non incommodè injurix dici possunt.

IV.

Strictò sic dicto sensu frequentius pro damno, culpâ seu non jure dato *l. 5. §. 1. ff. ad Leg. Aq.* aliquando proiniqua & injusta Judicis sententia *l. 51. ff. Evict. l. 8. l. 15. C. eod.* Sæpius pro contumelia injuriantis accipitur, quando contumeliosè aliquem pugnâ excipio, vel odiosa aliqua in vitam & mores ejus spargo *l. 1. §. 2.*

*l. 2.*

*l. 15. §. 20.*

*l. 15. §. 20. ff. h. 1.* Et de hac ultima specie jam jam agere nostri est instituti.

V.

Definitur Injuria, quod fit delictum privatum, dolo malo re vel verbis in hominis liberi contumeliam, admissum, corporis vel dignitatis famæve læsionem continens toto *tit. Inst. & C. de Injur.*

VI.

Et quia dolum necessariò requiri diximus furiosos & impuberes doli incapaces *l. 3. §. 1. ff. h. 1. l. 40. ff. R. J. dormientes l. 209. ff. V. S. Wesenb. par. n. 4. hic Geil. 2. obser. 110. n. 30.* pupillos & infantes *l. 60. ff. Rei Vind. l. 5. §. 2. ff. ad Leg. Ag. animalia bruta l. 1. §. 3. ff. si quæd paup. fec. dic.* Item parentes, præceptores, dominos, cognatos, quoties animus in jurandi in his non probatur, hac actione non teneri statuimus:

VII.

Porro ex definitione nostra videre est, actionem Injuriarum liberis tantum hominibus non servis competere, ratio est, quia omnis injuria aut in corpus inferitur, aut ad dignitatem, aut ad infamiam pertinet, *l. 1. §. 2. ff. h. 1.* cum autem Servi persona careant *l. 32. 209. R. J.* etiam dignitate & fama carere putantur, & ita per consequens infamia & injuria in illos non cadit.

VIII.

Cum autem omnem injuriam duobus modis re, scilicet & verbis ex *§. 2. Inst. eod.* fieri constet, dividimus eam cum Labeone in Realem & Verbalem *l. 1. §. 1. ff. eod. Vult 1. J. Re. 49. Schneidw. Inst. hic.*

IX.

Realem dicimus injuriam, quando vel manus inferuntur vel alio modo puta factò quis contumeliam patitur

patitur *l. 1. §. 2. 5. in princ. l. 9. in pr. ff. h. t.* idq; non tantum in corpus, sed etiam extra corpus fieri posse asserimus per *d. l. 1. §. 2. d. l. 9. ff. h. t.*

#### X.

In corpus injuria inferri dicitur, cum quis ipse directò eam in corpore passus fuerit, ut si injuriose tractetur *l. 1. §. 2. l. 5. 9. ff. h. t.* Cæterum per Consequentiam, videlicet quando nostris liberis Servis, Uxori vel Sponsæ in nostrum contemptum injuria sit illata *§. 23. & 6. Inst. eod. d. l. 1. §. 3. & pen. l. 15. 18. §. 2. ff. h. t. l. 1. 2. & 8. C. eod.*

#### XI.

Unde non inconvenienter hic concedimus, patrem si non sit vilis persona injuriam filio *fam.* in sui contumeliam factam, ipso filio *fam.* invito ex plenitudine potestatis suæ patriæ remittere posse per *textum l. sed si unius 17. §. 12. ff. h. t. vid. hac de re Fachin. lib. 9 Cont. 6. 42. Schneidwin. supr. Inst. §. 2. n. 8.*

#### XII.

Hinc etiam illa enodanda venit quæstio; An frater pro fratre & unus agnatus pro altero injuriarum agere possint; Et quamquam multi Dd. non quidem civiliter, sed tantum criminaliter hos agere posse autument, nos tamen Negativæ adstipulamur Sententiæ, *moti textu l. 1. §. 3. & fin. ff. h. t.*

#### XIII.

Corpori etiam injuria inferitur, si quis fimo corrupto aliquem maculaverit *l. 1. §. 1 ff. Extraord. Crim.* Immo si quis alteri saltem baculo sive gladio minatus fuerit, etiamsi ad actum nondum deduxerit *l. 15. §. 1 ff. h. t.*

#### XIV.

Quia verò domus cuiq; sua tutissimum debet esse.

receptaculum *l. 18. ff. In jus voc.* ita ut in causis civilibus nemo ex domo suâ extrahi possit *l. 21. d. 1. l. 103. ff. R. J.* non vilem æstimamus injuriam, si quis invito domino domum illius ingreditur per *l. 5. in pr. l. 23. ff. h. t.*

XV.

Quapropter non immerito Judex aliquem re & corpore injuste arrestans injuriarum conveniri potest, *d. l. 15. §. 3.* Idem dicendum si quis iniquè à Magistratu carceri sit inclusus *l. 32. ff. eod.* ratio est quia carcer libertatem adimit & ita servitutis speciem cum infamiâ quadam inducit *l. 2. ff. lib. hom. exhib. l. 7. ff. de pos.*

XVI.

Extra corpus realiter injuria afficimur, quoties citra illud, factò quopiam sive habitu, sive gestu vel simili deniq; actu contumeliosè despiciamur.

XVII.

Et factò quidem injuria imponitur veluti si quis alterius monumentis honoris causa positus vim inferat *l. si statua 27. ff. h. t.* Item si alicui interdicator in mari piscari, lavare vel re suâ uti, vel etiam in Sylvis, in quibus venatio est concessa venari *l. 13. §. 7. ff. h. t.*

XVIII.

Cum autem aliquis ad contumeliam alterius fordida & squalida utatur veste habitu injuriam pati videmur *l. 15. §. 27. l. 39. ff. h. t.* Sic etiam gestu injuria fieri dicitur, cum quis in alicujus despectum linguam exerat, oculos distorqueat, vel simili modo in proprio corpore gestus exprimat. Et aliis infinitis modis injuria inferri potest, ipso Imperatore teste *in l. 1. §. omnemq; 2. l. 23. l. 24. l. 43. & seq. ff. hic*

XIX.

Antequam vero ad alteram injuriæ partem deveniamus non incommodè hic etiam eam excutiendam  
questio-

questionem putamus: An Injuria omittendo vel non  
faciendo fieri possit, nec ne? quod etsi multi negant, nos  
tamen Affirmatiuæ sententiæ calculum addimus *arg. l.*  
*2. ff. ad Leg. Pomp. de Parricid. & l. 5. §. pen. C. ad Leg. Jul. Maj.*

## XX.

Verbalem dicimus injuriam, quæ citra modos  
prædictos fit voce vel Scripto *l. 1. §. 1. ff. h. t. voce, cum*  
*contumeliosa & naturâ sua injuriosa in aliquem effun-*  
*duntur verba l. 15. §. 2. cum aliquot seq. ll. ff. cod. l. 3. l. 5. l. 10.*  
*C. h. t. quod tum fit quando alius alii multa mala preca-*  
*tur, veluti ut suspendio necetur vel rotæ iniiciatur d. l.*  
*15. §. 5. sive quâdo quis legitimè sive illigitimè natum*  
*principis tamen beneficio natalibus restitutum spu-*  
*rium dixerit, quapropter non immeritò secund. verif-*  
*simam Dd. sententiam injuriarum condemnatur.*

## XXI.

Et hanc ne honoris quidem præfatione præmissâ  
(veluti tu spurius, tu fur es, tu mentiris salvo honore  
tuo) extingui asserimus cum *Wesenb. in par. n. 8. ff. h. t. &*  
*Arumao Exercit Inst. 17. th. 20. & aliis.* Et ratio est hæc,  
quia in re aliquâ manifestâ, quæ in ipso facto consistit  
simulatæ præfationes nihil prosunt *arg. l. 137. §. 2. in*  
*fn. de P. Obl.*

## XXII.

Quod tamen non valet, si quis laceffitus, ad sui de-  
fensionem legitimâ usus fuerit retorsione & alicui ob-  
jicienti crimen in continenti responderit simpliciter,  
tu mentiris, vel etiam tu salvo honore tuo mentiris  
*l. 25. ff. procurat. & defens. vid. Schneidv. h. t. n. 8.* Cæterum  
hic

hic observandum, si nobili & in dignitate constituto viro mendacium aliquod à vili persona sit objectum, quod tum non tantum legitimâ retorsione uti, sed etiam cum tales conviciatores contraria mendacii objectione parùm moveantur, neq; à conviciando abstinere, colaphum huic impingendo se defendere possit *per l. 15. §. 39. ff. h. t.*

### XXIII.

Hinc etiam queri solet, an etiam is, qui alicui verum crimen objecerit injuriarum conveniri possit? Et negativè concludendum putamus, si scilicet id revelasse expediat Reipub. cui interest infamiam istam esse, notam *l. 18. ff. h. t.* ne delicta maneant impunita *l. 51. ff. ad Leg. Aq.* Sin minus defectus nostros detegi inhumanum est *l. 2. C. quand. & quibus quart. pars.*

### XXIV.

Accusans autem aliquem de crimine, si non probat, sed ex aliorum relatu se id saltem percepisse dicit, quin injuriarum actione competi possit nullum est dubium, cum nemo sine apertissimis documentis accusare debeat *arg. l. 4. C. Edend. & l. final. C. Probat.*

### XXV.

Scripto injuriam patimur cum vel verba injuriosa in nostrum despectum scribuntur; vel falsæ quædam imagines cum turpitudinis & deformitatis repræsentatione loco alicui affiguntur, ex quibus animus injuriandi facilè appareat, quorum illa famosus libellus (vulgo Pasquillus) hæ famosa pictura dicuntur *Vult. r. J. R. c. 49. n. 16.* tametsi utriusq; conditio quoad poenam est eadem *per text. l. 5. §. pen. ff. h. t.*

### XXVI.

Alias etiam dubitari solet, utrum & famosus libellus

lus

lus dici possit ac debeat, cui auctoris nomen expressè  
subscriptum est? an verò id tantum in quo omissum  
vel fictum est auctoris nomen? Et utrumq; esse famo-  
sum libellum constat *ex d. l. 5. §. 9. ff. h. t. Vult. J. R. t. 40.*  
*Trent. Diss. 30. de Privat. delict. eb. 5. L. 1.*

XXVII.

Quia autem famosolibello non levem injuriam  
fieri non obscurum est, ideoq; etiam gravior pœna a-  
deoq; capitalis pro eo constituta est in *l. unic. C. famos.*  
*lib. sub quâ tamen non semper mortis naturalis, sed*  
*quandoq; mitiorem intelligimus, ne pœna sit major*  
*ipso commisso per l. 22. C. pœnis, l. 11 §. 12. ff. ad Leg. Jul.*  
*de adult. l. 4. ff. de Incend. ruin. naufr.*

XXVIII.

Et hoc adeo verum ut etiam non tantum auctor,  
sed etiam is, qui ejusmodi libellum efficiendum vel  
emendandum curavit, aut inventum non statim corrupit,  
sed divulgavit, conveniendus & puniendus veniat.  
*d. l. 5. §. 9. & 10. ff. eod. l. unic. C. famos. libell.*

XXIX.

Non omittendum autem hic putamus: utrum  
famosolibello iniuriatus honoris & existimationis  
suæ infamiam incurrat? Et Negativam quid impu-  
gnet non video, cum nemo Jure & propriè infamis  
censeatur, nisi quem specialiter & nominatim Lex in-  
famem pronuntiat *arg. l. 3. C. ex quibus caus. infam. irrog.*  
*l. 5. §. 1. ff. Extraord. cognit.*

XXX.

Quemadmodum autem sæpius accidit, ut unus-  
pluribus eadem de Injuria teneatur, scilicet ut unius  
persecutio, non impediatur alterius actionem per *§. 2. Inst.*

B

*h. t. l. 1.*

*h. t. l. 1. §. ult. l. 18. §. 2. l. 41. ff. eod.* Ita etiam è contrario obtinet, ut, si multi, aliquem convitiis prosciderint, singuli uni obstricti sint, ita ut unius satisfactio alteri non profit *text. l. 34. l. 11. §. 3. ff. eod. vid. W esemb. par. his n. 5. & 12.*

### XXXI.

Hæc itaq; hætenus quibus modis injuria inferatur dixisse sufficiant, superest, ut etiam, quæ pœnæ contra injuriantium malitiam latæ sint, investigemus. Sciendum autem est hodie de omni Injuria civiliter vel criminaliter Injuriato agere licere §. 10. *Inst. l. 11. C. eod.* Ita tamen ut unâ intentatâ altera intelligatur consumpta *l. 53. ff. Ob. & act. l. 7. §. 1. ff. hic l. 2. §. 4. ff. Collat.*

### XXXII.

Agit igitur injuriatus civiliter, cum injuriæ æstimatione factâ, sibi pœnam adjudicari petit, quæ tamen arbitrio Judicis ex æquo & bono ratione circumstantiarum, temporis, loci, personæ, & facti augeri, aut minui potest. §. 7. *Inst. h. t. l. 37. ff. eod.*

### XXXIII.

Cum autem reus qui ad pœnam pecuniariam est condemnatus solvendo non sit, Judicem illam in corporalem convertere posse certi & indubitati est Juris per *l. 1. in fin. ff. Pœnis. l. fin. ff. in jus voc. & l. 35. ff. h. t.* Qui enim non habet in ære luat in corpore *Math. 18. v. 25. Schneidw. Inst. hic*

### XXXIV.

An verò id quod modò dictum est etiam procedat in nobilioribus & egregiis personis disceptabilis videtur quæstio? Nos cum in istis quælibet pœna corporalis etiam minima, major sit quâvis pecuniaria  
tam

ria quamvis maximâ *l. 10. in fin. ff. Pœn.* Judicem non tam faciliè ad pœnam corporalem infligendam proficere debere arbitramur.

### XXXV.

Criminaliter hâc actionè experimur, cum ut reo corporalis vel pecuniaria aliqua pœna fisco applicanda irrogetur, petimus, quæ lucro agentis non cedat *§. 10. Inst. eod. vid. Duaren. ad hunc tit.* Et hæc pœna etiam diligenter, sicut illa civilis pro modo delicti & personarum dignitate à Judice nequid durius aut remissius constituat, consideranda est.

### VXXVI.

Præter has ex Jure Civili descendentes actiones, hodie Jure consuetudinario adhuc alia est recepta quæ vocatur recantatoria *Myns. ad §. 10. hic* quâ injuriatus postulat, ut interventû revocationis ei ablati honor, (qui omni lucro pecuniario præfertur *in l. 104. ff. R. J.* imò quod infamia gravior sit ipsa oculorum amissione testatur *l. 8. C. Decurion.*) restituatur.

### XXXVII.


Hiscæ itaq; actionibus non tantum adversus eum qui injuriam fecit, sed & qui dolo malo eam inferri procuravit injuriarum agimus, auctore *Ulp. in l. 11. in pr. ff. h. t.* Ratio est, quia quod quis per alium facit ipse facere videtur per *l. 152. & l. 169. ff. R. J.* In heredes verò non dantur nisi lis à defuncto fuerit contestata *l. 13. l. 28. ff. h. t. l. 139. & 164. R. J. l. 32. in pr. ff. ad Leg. fal.*

### XXXVIII.


Circa finem etiam non ignorandum est, has illatas


latae injurias vel actiones ex illis descendentes variis  
extingui modis, idq; sive morte alterutrius ante litis  
contestationem *l. 13. l. 15. ff. Bachov. in Trcut. d. e Privat.  
delict. sive dissimulatione, §. ante fin. Inst. eod. sive trans-  
actione, satisfactione sive etiam remissione tam ex-  
pressâ quam tacitâ, adeò ut semel remissa amplius in-  
tendi non possit §. ult. Inst. hic l. 22. & l. 15. C. transact.  
sive demum præscriptione seu lapsu unius anni. Si  
enim injuriâ affectus per annum taceat, nec in-  
juriam persequatur, postea acturus non  
audietur *pr. l. 5. C. h. r.**

FINIS.









the scale towards document

putamus: An Injuria omittendo vel non  
 i possit, nec ne? quod etsi multi negant, nos  
 nativæ sententiæ calculum addimus *arg. l.*  
*mp. de Parricid. & l. 5. §. pen. C ad Leg. Jul. Maj.*

XX.

m dicimus injuriam, quæ citra modos  
 voce vel Scripto *l. 1. §. 1. ff. b. r. voce, cum*  
 & naturâ sua injuriosa in aliquem effun-  
*l. 15. §. 2. cum aliquot seq. ll. ff. eod. l. 3. l. 5. l. 10.*  
 im fit quando alius alii multa mala preca-  
 suspendio necetur vel rotæ iniiciatur *d. l.*  
 ando quis legitimè sive illegitimè natum  
 en beneficio natalibus restitutum spu-  
 quapropter non immeritò secund. verif-  
 icentiam injuriarum condemnatur.

XXI.

te honoris quidem præfatione præmisâ  
 rius, tu fur es, tu mentiris salvo honore,  
 i afferimus cum *Wesenb. in par. n. 8. ff. b. r. &*  
*sic Inst. 17. th. 26. & aliis.* Et ratio est hæc,  
 uâ manifestâ, quæ in ipso facto consistit  
 fationes nihil profunt *arg. l. 137. §. 2. in*

XXII.

en non valet, si quis laceffitus, ad sui de-  
 titimâ usus fuerit retorsione & alicui ob-  
 in continenti responderit simpliciter,  
 el etiam tu salvo honore tuo mentiris  
 & defens. vid. *Schneidv. h. r. n. 8.* Cæterum  
 hic